

duae pugnantēs religiones a Deo omnis veritatis auctore revelari non possunt.

Schol. Unam hanc religionem christianam esse jam demonstratum ibi: efficacissima hanc in rem argumenta, quibus ratio naturalis, quam unam se sequi naturalistae profitentur, resistere omnino nequit, primum veritas librorum novi foederis, deinde miracula ad eam confirmandam perpetrata, tum admirabilis plane illius propagatio suppediunt. De his ordine quaedam delibabo, non quasi novi quidpiam allaturus; sed veritatem, quae et antiqua, et semper eadem est, vindicaturus contra huius aetatis incredulos, qui et ipsi non nisi antiquam perpetuo crambem repetunt.

QUID LIBER GENUINUS?

XXIX. *Liber genuinus* est, qui et ab eodem auctore, eujus nomen praefert, et eo, quo dicitur, tempore conscriptus est.

LIBRI N. T. GENUINI SUNT.

XXX. *Libri novi foederis genuini sunt.* Ille liber summo jure genuinus creditur, qui non modo numquam hoc titulo impugnatus, sed etiam ab omnibus scriptoribus tam amicis, quam inimicis per omnia saecula ascendendo usque ad tempus, quo exaratus est, ut talis agnitus fuit; sed id de libris novi foederis verissime affirmatur: igitur libri novi foederis genuini sunt.

Schol. 1. Certe libros hos genuinos esse professi sunt Christiani, iudaei, gentiles. Christiani saec. 1. Clemens Romanus Apostolorum aequalis, Ignatius M. qui Christum a mortuis suscitatum se vidisse gloriabatur (*De vr. c. 16.*); saec. 2. Papias, Polycarpus, Quadratus, Justinus M., Hegesippus, Athenagoras, Melito, Theophilus Antioch.; saec. 3. Irenaeus, Clemens Alexand., Tertullianus, qui ipsa Apostolorum autographa in Ecclesiis diversis conservari testatus est, Apollonius, Polycrates, Hippolytus, Cyprianus, Origenes, Gregorius Thaum., Dionysius Rom. De consequentibus porro saeculis jam nullus dubio locus superest. Cum his consenserint haeresiarchae ipsi, eorumque sectatores, Cerinthus, Ebion, Cerdo, Marcion, Manes. Iudaeorum nemo unus in tota antiquitate deprehensus est, qui horum librorum *adversionem* inficari ausus fuisset. Denique gentiles, eorumque philosophi, infensissimi simul christianis nominis hostes, Porphyrius, Amelius, Julianus id ipsum tum in disputationibus cum christianis susceptis, tum in scriptis suis aperte professi sunt: qua de re videri potest. Hermanus Goldhagen et S. J. in prolegomenis ad S. Scripturam singulari industria elaboratis, ac mira eruditione referunt (*Introduct. in s. Script. p. 1. q. 4.*). Jam vero quis nisi impudentissimus sit, plura postulet? Julii Cæsaris commentarios genuinos esse credimus omnes, et prudenter credimus. Quibus autem argumentis persuasi? Non alii certe, nisi quia haec opinio unanimes omnium consequentium scriptorum consensione firmatur; quia eos Cicero, Hirtius, Strabo, Suetonius, Plutarchus, aliique ad nostram usque aetatem in manu-

nis habuerunt: cur igitur iisdem rationibus non permoveamur, ut libris Evangelicis eandem fidem habeamus?

OCURRET DUBIO.

Schol. 2. At Christi discipulos homines fuisse *avayaberes*, imperitos litterarum expertes putant nonnulli, ut adeo verissime non sit, potuisse ab ipsis libros conscribi (*Liberté de penser*). Colligit addit potuisse libros ab illis compositos corrumpi; idque reapse evenisse contendit, patere ex tot variantibus lectionibus, atque ex eo, quod Ss. Patres saepissime textus aliter laudaverint, quam hodie in Bibliis legantur.

R. Priori objectioni jam pridem Origenes satisfecit (*Adv. Celsum l. 2.*); certe etsi illorum aliqui piscatores fuerint, ex more tamen gentis legem patriam condidicerunt, in qua nominatim S. Paulum a Gamaliele institutum novimus; quod si etiam characterum formandarum imperiti fuissent, numquid non aliena ad id opera uti licuisset? Quod deinde ad alterum; fieri minime potuit, ut libri tanta cura, ac sollicitudine a christianis custoditi ulla ratione interpolarentur, aut penitus corrumpentur; quando quaeso id factum fuisse putant? Num viventibus etiamum Apostolis, an iis vita functis? Non certe primum: ipsi enim auctores vehementer repugnasset; sed nec alterum: eo quippe tempore jam apographa ad omnes ecclesias in remotissimis provinciis erectas perlata, atque in illarum nationum linguis conversa fuerunt. Argumentum a variantibus lectionibus petittum omnino nullum est; nam eae nec ad historiae substantiam, nec ad integritatis sententias; sed fere ad verborum tantum, et grammaticorum pertinent, quod scriptorum vitio tribuendum est. Vid. praefat. Kunsteli (*Ad lect. Lips. N. T. Milliani*). Sed neque, qui tale facinus attentarent, fuerunt; qui enim Christiani ne recte sentientes, an haeretici? apud hos enim solum sacri libri servabantur. Non illi; nam haeretici ex eorum sinu procedentes, fraudisque concilii ipsos redarguissent, quod nunquam factum est: non hi, quomodo enim libros in catholicorum ecclesiis diligentissime custoditos corrumpere potuissent? At Patres aliter quosdam textus laudant? Ita quidem; sed ii fere ex memoria recitantes non ad verba quam ad sensum attendunt. Consulatur Genuensis (*Elem. met. p. 3. prop. 31. sch.*).

FORUM AUCTORES HABUERUNT SCIENTIAM.

CCXI. *Auctores librorum novi foederis habuerunt necessariam scientiam in iis, quae narrarunt.* Auctores hi fuerunt oculati, coevi, et domestici testes; praeterea testimonium dixerunt de ejus generis factis, quorum veritas nulla fere ingenii perspicacitate inquiri debet, sed ita obvia est, ut intentionem falli impossibile sit. Sed haec ex legibus humanae prudentiae manifeste ostendunt ipsis necessariam scientiam non defuisse (§. 224. log.); ergo auctores librorum novi foederis necessariam scientiam in iis, quae narraverunt, habuerunt.

Schol. Certe tamen si nunquam desint homines fanatici, qui vident,

quae nusquam sunt, eaque sibi firmissime persuadent: istud tamen in praesenti casu suspicari minime licet; facta enim, quae referuntur, apertissima, et omnibus sensibus non ipsorum modo, sed aliorum etiam ingenti numero circumstantium objecta fuerunt. Quomodo, quaeso, falli potuerunt, cum suismet oculis panes multiplicari, in quinque hominum millia distribui, residuumque colligi viderunt? Quomodo in Lazari suscitatio illusio timeri potuit? Nonne publica fama, plurimorumque ibi praesentium testimonio constitit Lazarum et mortuum, et sepulchrum fuisse, et quidem quadriduo ante, ita ut jam putrefactus gravissimum odorem spargeret? Nonne viderat una cum cetera magna copia adstantibus eundem ad solum Domini vocem exsepulchro prodire? Quomodo item falli poterunt, cum magistrum suum et mortuis redivivum conspexerunt? Nonne in conspectu totius civitatis cruci affixus, mortuus, in tumulum illatus fuit? Nonne tribus post diebus cum vivente rursus locuti, et pransi sunt, carnes, et ossa contigerunt, istudque non semel, ac iterum, sed repetitis vicibus per dies omnino quadraginta; nec ipsi soli, sed plures, quam quingenti, ut S. Paulus scribit? Nonne collecti subinde omnes ejus et terra abeuntis voces, et suprema monita suis auribus exceperunt; nonne evectum, et gloriose in caelo ascendentem et oculis, et pia animi cogitatione prosecuti sunt? Profecto omnem cum ratione humanitatem exiit, qui in his, et similibus factis dolum subfuisse, Christique discipulos superstitiosae credulitatis argui posse putet.

ET VOLUNTATEM VERI DICENDI.

CXXII. Auctores librorum novi foederis veri dicendi voluntatem habuerunt. Dixerunt enim testimonium absque ulla commodi, aut lucri spe; immo cum manifesto infamiae, suppliciorum, ipsiusque mortis periculo, illudque reapse et toleratis gravissimis suppliciis, et profuso forlitter sanguine confirmarunt; sed vel hic character solus ad probandam testis veracitatem sufficit (§. 223. log.); nemo sane unquam cum ingenti suo detrimento, sine spe commodi circumscriptorem egit; auctores igitur librorum novi foederis veri dicendi voluntatem habuerunt.

Schol. Accuratus non nihil rem expendamus. Fingamus enim vero totam Christi historiam fabulam esse a duodecim piscatoribus ingeniose compositam; quid, quaeso, ipsos ad similia comminiscenda impellere potuisset? An ambitio, vanaeque laudis, ac honoris cupiditas? at quid magis ab illis abfuit? numquid hominis cum maxima ignominia in latronum societate pati bulo affixi Divinitatem praedicarunt? numquid honores sibi delatos studiose declinarunt, ut imprimis patuit in Petro, et Joanne, cum claudum invocato Jesu nomine ad portam templi Hierosolymitani sanavissent; in Paulo quoque, et Barnaba, cum idem beneficium alteri Lystri contulissent? numquid mirandam animi demissionem constanter prae se tulerunt, eamque ratione auditoribus suis commendarunt? numquid

vilitatem natalium, incredulitatem, obstinationem, perfidiam, ceteraque sua errata, ac magistri reprehensiones sincere enarrarunt? An divitiae? at numquid relictis omnibus Christum secuti sunt? numquid et bona terrena constantissime repudiarunt, et eorum contemptum suis quoque sectatoribus persuasurunt? An gentis suae gloria? at hanc novella sua doctrina funditus eversum ibant. An principum favor? at horum opposita erant mandata, minas, supplicia, necem intentarunt, ac intulerunt etiam. An Christi amicitia? at tanto dispendio hominis infanda morte necati amicitiam colere quis furor? quae insania? insanum certe consilium, nisi Christus supra conditionem humanam evectus, nisi Deus fuisset. Quam innocens deinde ipsi vitae ratio, quam mira morum simplicitas, et candor! quam simplex et minime fucatum orationis genus, quo opera maxime stupenda memoriae prodiderunt? Qua denique constantia in tolerandis acerbissimis suppliciis, in subeunda crudelissima morte, qua diverso tempore, diversisque in locis veritatem testati sunt! Quis hic non ipsam veritatis vocem audire sibi videtur? fieri potest, non difficit, ut quis pro falsa sententia, quam ipse veram putet, mortem oppetat; at naturae ipsi repugnat, ut quis moriatur eo solum fine, ut fabulam a se confictam aliis persuadeat.

QUARE HISTORIA EVANGELICA FIDEM MERETUR -- ET RELIGIO CHRISTIANA VERA EST.

CXXIII. Historia evangelica ex ipsis rationis praescripto maximam, quae inter homines dari potest, fidem meretur. Historia, quae libris genuinis continetur, quaeque ab auctoribus nec notitia, nec veri dicendi voluntate destituta conscripta est, ex ipsis rationis praescripto, maximam, quae inter homines dari potest, fidem meretur (§. 220. seqq. log.); sed istud de historia Evangelica certissime affirmatur (§§. 120. 121. 122.); ergo historia Evangelica ex ipsis rationis praescripto maximam, quae inter homines dari potest, fidem meretur.

Coroll. Cum religio Christiana hisce libris comprehendatur (§. 116.); evidens est eam esse veram religionem revelatam.

Schol. Sed duo adhuc sunt gravissima momenta, quae veritatem plena in luce constituunt, quaeque propterea silentio penitus praeterire nequeo.

1.) Auctores horum librorum plures sunt, per diversa, et remotissima etiam loca dispersi, unde omnis collusionis suspicio excluditur; eadem tamen facta et prodigia evenisse narant; eadem dogmata tradunt; eandem fidei, vitaeque normam proponunt; numquam dissentientes, nisi forte in minutis quibusdam rebus, quae ad historiae substantiam minime pertinent; sed in eo solum consistunt, quod unus certa quaedam adjuncta personarum, temporum, locorum, quae ab altero narrantur, reiceat; id quod a diverso modo, quo diversi homines idem factum et memoria retinere, et aliis enarrare consueverunt, pendet.

2.) Pondus ingens addit mira eum historiis profanis consensio, unde faciunt, ut Justinus, Tertullianus, alique strenui religionis defensores in suis apologis fidenter ad annales Romani Imperii provocaverint. Nihil certe in Evangelio refertur de historia sive Romanorum, sive Judaicorum, quod non optime cum illis consentiat, quae ab historicis ipsorum domesticis, et aequalibus adnotata fuerunt. Legimus in his Christum fuisse hominem, qui mirabilibus suis operibus magnam de se famam concitaverit; ipsum Judaicorum invidia in crucem actum; ejus sequaces omnia deseruisse, et acerbissima supplicia perpeffos fuisse potius, quam a religione recederent. Ipse Mahometes Christum Messiam fuisse ob insignia miracula edita in Alcorano professus est. Stellae, quae Magos Hierosolymam duxit, meminit Chaldaicus (*Comm. in Timaeum Plat.*); de horrida solis eclipsi, quae moriente Christo contigit, scripsit Phlegon (*Chr. Olymp. l. 15.*); de caede infantium ab Herode perpetrata Macrobius (*Saturn. l. 2. c. 4.*); Christum a Pontio Pilato supplicio affectum, descendenteque ab ipso Christianis crudelissima supplicia fortiter tolerasse Tasitus (*Annal. l. 15.*); eundem tantam de se sanctitatis existimationem concitasse, ut Imperator Alexander Severus, cum ipsi, ut vellet, publicum templum consecrare non posset, privatum tamen domi suae inter Deos Penates cultum decreverit, Lampridius retulit (*In Sever.*). Patet itaque quam turpiter mentiantur, qui contendunt Evangeliorum historiam cum profanorum auctorum relationibus non cohaerere (*Catech. Thonn. hom. p. 26. Antig. Jud. l. 18. c. 7. lb. l. 20. c. 8. lb. l. 13. c. 4.*). Sed neque praeterendus est Iosephus Flavius, qui non modo Joannis Baptistae praedicationem, ac mortem; tum et Jacobum fratrem Jesu, qui dictus est Christus, jussu Ananias Pontificis lapidibus obrutum fuisse commemorat, sed etiam, quasi sui obitus, testimonium Christo perquam gloriosum dicit; eodem tempore, ait, fuit Jesus *crucis captus, et tamen sua esse vtrum eum dicere. Erat enim mirabilium operum patrorum, et eorum doctor, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de judaeis, quam de gentilibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum a gentibus nostrae principibus cum Pilato cruci affixisset, nihil minus non destiterunt diligere, qui ante eum diligebant. Vixit enim tertia die eis apparuit, quem admodum dicitur vates habere, et alia multa miracula de ipso praedixerunt. Et usque nunc Christianorum genus ab eo denominatum non defecit. Novi equidem fuisse nonnullos, qui cum Blondello, et Tranquillo Fabricio hujus testimonii silentem suspexam reddere conati sunt, sed apud cordatos nihil effecerunt; major est auctoritas antiquissimorum exemplarium etiam manuscriptorum; majorque Hieronymi, Eusebii, Isidori Pelusiotae, Sozomeni, Cedreni, qui omnes ut genuinum admerunt. Vid. Buffierius (*Expos. des preuves de la relig. appr. diss. 2.*). Item Huetius (*Dem. Ev. prop. 3.*), et P. de Colonia (*La rel. chr. et. aut. par les tem. des anc. aut. patens.*).*

OPERA MIRABILIA A J. C. EDITA FUISSE CERTUM EST.
EAQUE VERA FUERUNT MIRACULA.

CXXIV *Opera prorsus mirabilia, ac stupenda a J. C. edita fuisse certum est.* Haec opera referuntur in libris, qui summam fidem merentur (§. praec.); haec praeterea narratio unanimi auctorum et religionis, et natione differentium, coaevoquinque consensione confirmatur: igitur certum est fuisse a Jesu Christo opera prorsus mirabilia, ac stupenda edita.

Schol. Jesum Christum hominem fuisse mirabilem, mirabiliumque effectorem, ac publico etiam, et universali rumore pro tali habitum evulgatum primum Apostoli, tum eorum discipuli, et successores, ne tamen umquam ab hostibus etiam infensissimis, haec in re repugnatum fuit; nunquam harum rerum scriptores mendacii, aut fraudis insimulati sunt; facta haec revera evenisse admerunt omnes, quotquot et tum, et posterioribus temporibus novellam religionem cum Celso, Porphyrio, aliisque oppugnavit; sed fraudibus, praestigiiis, arti magicae, auxilio daemonum ea tribuerunt. Julianus apostata singularem libum ad elevanda Christi miracula conscripsit, non ad operum veritatem negandam, clare enim ait: *quid fecit Jesus, quid singulariter admirandum esset? nisi quid putet maxima esse opera, claudos, et caecos sanitates restituisse, et daemonia corruptas adjuvare;* sed ut daemonum ope effecta fuisse probent Talmudistae, alique Rabini, cum factorum veritatem dubiam reddere non possent, mirabilem pontem construxerunt; Christum aëranam artem pronuntiandi nomen Dei Π Π possessisse, indeque virtutem mirabilia patrandi sibi comparasse suis persuaserunt. Tantus denique erat miraculorum Christi splendor, tam probata fides, ut Tiberius ipsum propterea in Deorum numerum retulisset, publicosque honores decrevisset, nisi senatus romanus, ad quem eam rem detulerat, obstitisset; quod adeo in vulgus notum fuit, ut Tertullianus in sua pro Christianis apologia ad M. Aurelium hoc argumentum uti veritus non sit (*Apolog. 2. c. 5.*).

CXXV. *Opera mirabilia a J. C. edita fuerunt vera miracula.* Opera haec mirabilia neque vi humana, aut alterius causae naturalis, neque occultis circumscriptorum artibus, neque daemonis ope, neque vi naturali boni angeli effeci potuerunt: igitur divina virtute effecta sunt, alia quippe causa efficiens cogitari nequit (*cosm. §. 98.*); atqui id genus effectus sunt vera miracula (*cosm. §. 92.*): igitur opera mirabilia a J. C. edita fuerunt vera miracula.

Schol. Quae, quaeque, tanta est vel hominum, vel cujuscumque causae naturalis vis, ut sola vocabulorum prononciatione paucos paucos aliiquot pisciculis ita multiplicet, ut quinque hominum milibus saturandis sufficiant (*Matth. c. 14. v. 19. seqq.*)? quae sola volitione lepram abstergat (*ib. c. 8. v. 3.*)? quae sola tactione (*ib. c. 8. v. 15. c. 20. v. 34.*), aut jussione (*ib. c. 8. v. 13. c. 12. v. 13.*), caecos, claudos, paralyticos sanitati restituit? quae solo vocis im-

perio mortuo ante quatuor dies in tumulo illato, ac jam computrescenti vitam reddat (Joh. c. 11. v. 43. 44.)? Haec sane, et sexcenta alia a Christo Servatore effecta ejus sunt generis, ut perspicue omnes naturae universae vires quantumvis nobis incognitas exsuperent. Nullae deinde hic impostorum fraudes locum habuerunt; gesta enim haec sunt in publicis, et copiosissimis Judaeae locis, gesta coram ingenti hominum multitudine, gesta praesentibus, et insperantibus infensissimis hostibus, qui ad omnia adjuncta attentissimi, et in carpendis Christi actionibus auidacissimi fuerant. Quae occulta circumscriptoris fraus efficere potest, ut me, cum esurio, satiari putem? jubentur discumbere praeter mulieres, ac parvulos quinque virorum milli; offeruntur Christo quinque panes cum duobus piscibus, ac illo imperante in tantam hominum multitudinem distribuntur, comedunt omnes; saturantur; remaneat tamen inde fragmenta, tanta adhuc copia, ut omnibus insipientibus doctis cum copiosis replant. Ergo visus, gustus, odoratus, tactus, auditus, omnes nimirum sensus quinque millium virorum sola manuum dexteritate, aut quacumque alia fraude unius hominis decepti, ac delusi sunt? quae haec naturalistarum est impudentia? quae tanta insaniendi libido?

Seu genii fortasse ope adjunctis eadem Christus effecit? cujus igitur, boni ne, an mali? daemones equidem Pharisaei illa opera adscripserunt, ac refutati sunt ab ipso Christo ajente, daemones regnum in se divisum non esse; daemones contra se non agere. Expedit non nihil attentius criteria, quae ad discernendas daemones praestigias inserviunt (cosm. §. 98. sch. n. 4.), et plane perspicies nullum omnino Servatori nostro cum daemone commercium fuisse. An igitur angeli boni ope adjunctis haec mirabilia patravit? nec istud quidem; aut enim verum fuit, aut falsum praecipuum illud doctrinae a Christo promulgatae caput, quo se Deum esse asseruit. Si falsum: non potuit utique angelus bonus ad mendacii blasphemiam confirmationem operam conferre; si verum: supremam ipse in universam naturam potestatem habuit, nec auxiliaria angeli ope egit. Restat itaque, ut Christum et Deum fuisse, et sua virtute mirabilia haec opera perpetrasse pronunciemus, atque hanc ob causam eadem in verorum miraculorum numero reponamus, quod demonstrandum erat.

QUAE VERITATEM IPSIUS DOCTRINAE — ET RELIGIONIS CHRISTIANAE
EVINCUNT.

CXXXVI. *Miracula a J. C. edita veritatem doctrinae ab ipso traditae invicte demonstrant.* Miracula veritatem doctrinae, ad quam confirmandam dirigitur, invicte demonstrant (cosm. §. 96. cor. 1.); sed miracula a J. C. edita ad confirmandam doctrinam ab ipso traditam directa sunt: rogatus siquidem a judaeis, num Christum sit? respondit (Joan. c. 10. v. 25.): *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Et (Ib. v. 38.):*

Si mihi non vultis credere, operibus credite. Alias discipulis Joannis Baptistae quaerentibus, utrum ipse sit, qui venturus esset, Messias? respondit (Matth. c. 11. v. 4. 5.): *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis, et vidistis, Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: ergo miracula a J. C. edita veritatem doctrinae ab ipso traditae invicte demonstrant.*

Coroll. Doctrina a Christo tradita Religionem Christianam constituit: evidens itaque est eam esse veram religionem revelatam.

REFELLUNTUR OBJECTA.

Schol. Torquent se hoc loco plebei philosophi omnem in partem, ut aliquid proferant, quo argumenti hujus robur infringant: hos equidem, quantum ad miraculorum possibilitatem attinet, in cosmologia (§. 95. sch. 2.) refutavimus; nunc ex illis, quae praeterea accumbunt, quaedam attingam; non tam disputaturus, levissima quippe sunt, quam ipsorum impudentiam patefacturus.

1. At quidam: *una demonstratio plus efficit, quam quinquaginta facta.* — *Si religio, quam mihi annuncias, vera est; poterit utique illius veritas per rationes invictas evidenter demonstrari: eas itaque rationes profer.* Quid est, quod enumeratione prodigiorum necum confisus, cum uno me possis syllogismo prosterneret? *anne facilius claudum sanas, quam me illumines?*
2. Demonstratio equidem evidentiali metaphysicam (Pensées philos. pens. 50.), quinquaginta facta morale parient; utraque tamen veram certitudinem, quae omne prudens dubium excludit, continet. Verissima est religio, quam annunciamus: at ea mysteriis, quae credi debent, sciri non possunt, refoeta est: unde itaque illius veritatem comprobabimus? an demonstratione? sed ista ad scientifica pertinet: an testium auctoritate, miraculorum enumeratione? Ita sane; quaestio facti, utrum Deus hanc religionem revelaverit, alia certe ratione probari nequit. Ad rationem abjicimus? minime verò; quin optime ipsa utitur; ratione imprimis investigamus, utrum facta haec mirabilia vere extiterint; ratione confirmamus eadem in veris miraculis habenda esse? ratione denique ostendimus doctrinam, quam miracula confirmant, non posse non esse verissimam, atque ita religionem Christianam evidenter credibilem esse demonstramus.
- 2.) Miracula nec necessaria, nec utilia esse ad probandam religionis veritatem confendit Rousseavius (*Lettres de la Montagne, lett. 3. p. 115. pag. 87.*); primum: quia ipse Christus illis ad suam doctrinam confirmandam usus non est (*Emile t. 3. p. 88.*); alterum: quia homo sapiens nunquam certus reddi potest de veritate miraculi, tum quod effectus supernaturalis sit, tum quod ignoremus vires totius naturae creatae.
3. Primum a veritate longissime distare theorematis demonstratio docet. In altero ipse secum pugnat; cum enim eodem loco profitea-

tur posse Deum miracula perpetrare, non video, cur Deus, si quod edat, illud nobis manifestare nequeat. Deinde cum miraculum ex illius mente sit (*Lettr. de la Mont. lett. 3. p. 131. pag. 132.*) *mutatio sensibilis in ordine naturae, et realis, ac visibilis exceptio ab ejusdem legibus, cum sit divinae missionis character maxime splendidus, et ad hominum captum accommodatus, necesse utique est, ut a nobis percipi possit.* Verum, ait, miraculum est effectus supernaturalis, et naturaliter impossibilis: quis autem demonstrat ejusmodi effectum contigisse, cum nostra principia tantum naturali rerum possibilitate ipsi vero effectus supernaturalis, cum contingunt, non aequae sensus nostri cadentem, non quidem quatenus sunt supernaturales, sed quatenus sunt effectus vere reales, quos cum contra constantes naturae leges efficiantur, supernaturales esse indubitanter colligimus. Ipse certe non aliter ratiocinatur, cum prodigiosa Christi opera validioribus testimoniis, quam facta Socratis, niti fateatur (*Emil. t. 3. p. 168.*). Ad ultimum respondi (§. 95. sch. 2. n. 5.). Nempae tamen omnes naturae leges non cognoscamus, scimus tamen cognitae naturaliter mutari non posse, idque ipsa providentia, et bonitas Dei auctoris legum moralium postulat; si enim nihil esset in natura certum, nihil quoque in societate humana certum foret, nihil in vitae rationibus, nihil in officiorum obligationibus. Urgent nova inventa in physicis; at nihil unquam inventum est, quod cum legibus antea notis pugnaret; nulla nova lex reperta, quae novum in moralibus ordinem induxisset.

Prætereo reliqua, quoniam futilissima sunt, quae Rousseavius proacaciter effudit. Qualia sunt; Josue olim per miraculum sol stetit, hodie qui ephemerides construunt, efficiunt, ut sol celissim patiat, quod prodigium longe splendidius est; intolerabiles naegae in re adeo seria. Item sicut naturale est, ut homo uno momento moriatur, ita naturale esse potest, ut uno momento sanetur. Itane? uno momento potest artificiosissima machina in frusta contendi; quis artifex eamdem rursus uno momento restituit? Incertum saepe est, an quis vere sit mortuus, inventa jam est ars aliqua submersis, et suffocatis vitam restituendi, fortasse adhuc ars suscitandi mortuos invenietur. Sunt tamen signa quaedam certa mortis, quae putrefactio a celeberrimis medicis refertur; submersi, qui curantur, non erant mortui; inventa igitur solum est ars nova medendi: at quae ars humana, quae vis medicamentorum esse potest, quae corpori hominis penitus destructo, quatruiduo in tumulo computrescenti sanitatem reddat? quae animam rursus corpori alliget? Quis non videt haec omnia eo tendere, ut Sanctissimus Servator veteratorum vaferrimus fuisse comprobetur? At injuriam inferimus virono innocentissimo; de qua in epistola ad Archiepiscopum Parisiensem (*pag. 84.*) data amare conqueritur: sed bonis superis hominis calliditas jam orbi patet. Ceterum haec et similia in recentissimo auctore praecclare refutata invenias (*Lettr. d'une mère a son*

fil. t. 3. lett. 18. 19.). Ergo interea argumentum sic concludo: Christus cum duodecim piscatoribus per sua miracula totum terrarum orbem emendavit, quod philosophi per subtilissima sua ratiocinia efficere nunquam poterunt: igitur posteriori evidentur constat, miracula et ad probandum, et persuadendam Religionem utilissima esse. Denique nihil magis miraculorum Christi veritatem comprobant, quam stupenda Religionis propagatio. Fingamus enim vero miracula Christi opera meras fraudes, ac illusiones fuisse; igitur tantum haec fraudes valuerunt, ut fides de regione in regionem usque ad ultimos terrae fines, de saeculo ad saeculum per novem, ac decem omnia diffunderetur, et constans persisteret? Certissimum est in Christianorum societate plures, quam in quovis alio coetu, magna intelligentiae vi instructos, omnium scientiarum, ac critices praecipue solide peritos extitisse: ferine potest, ut tot homines tantis animi dotibus illustres tam turpiter sibi illud sinant, ut tanto saeculorum decursu errorem non detegant? Igitur maxime illuminati simul maxime caeci, maxime sapientes plurimorum ignari; maxime acuti, et cauti maxime proclives ad fidem illusionibus habendam fuerunt, istudque in negotio, in quo recte sapere maxime ipsorum interfuit? O miraculum omnium maximum, sed jam de mirabili hac propagatione pauca seorsum.

RELIGIO CHRISTI, CELEBRITATE PROPAGATA FUIT.

CXXVII. *Religio Christiana ab auctoris sui morte stupenda celeritate per totum terrarum orbem propagata fuit.* Primo siquidem saeculo Religio Christiana jam toto orbe diffusa est, consequentibus duobus firmiores semper radices egit; initio demum quarti prorsus de pagana superstitione triumphavit: atque haec stupenda omnino celeritas est, si praecipue ad innumera obstacula perfringenda mentem conciamus; ergo Religio Christiana ab auctoris sui morte stupenda celeritate per totum terrarum orbem propagata fuit.

Schol. Vix elapsis aliquot a Magistri morte diebus, cum Petrus Spiritu Sancto plenus primum ad concionem deceret, tria fere; cum secundo, quinque hominum millia se Christo adjunxerunt (*Act. Apost. c. 2. v. 41. c. 4. v. 4.*). Nerone imperante, qui vigesimo circiter anno thronum conscendit, innumeram Christianorum multitudinem Romae in totius orbis metropoli durissimis supplicii atrocitatem fuisse in Tacito legitimus (*Annal. l. 15. c. 44.*). Circa octavo et vigesimo annum Paulus ad Colossenses scripsit (*Cap. 1. n. 5. 6.*): *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit.* Et rursus: *A spe Evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est (V. 23.).* Sub saeculi primi finem Plinius Junior Bythiniae proconsul haec de Christianis ad Trajanum Imperatorem retulit (*Epist. l. 10. ep. 97.*) *Visa est enim mihi res consultatione dignissima, maxime propter periculum tantum numerum: multum enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque*

Storckenau Metaph. Lib. IV. 24

que sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabantur. Neque enim civitates, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Seneca Apostolorum aequalis testimonium S. Augustinus nobis servavit (De civ. D. l. c. c. 11.). Sceleratissima gens, verba sunt gentilium philosophi, Judaeorum (intellige Christianorum) consuetudo usque eo invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit, victi vicioribus leges dederunt. Initio saeculi secundi apud gentes maxime barbaras constitutas fuisse Ecclesias Justinus M. testatur (Apolog. pro Chr.). Nullum, ait, esse genus hominum sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellerent nomine, vel in planis de gentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, et pecoribus vitam tolerantium, inter quos non sunt proceres, et gratiarum actiones Patri, et Creatori omnium per nomen Jesu Christi crucifixi. Eodem fere tempore ecclesiarum Germaniae, Celsicae, Egypti Lybiae Irenaeus meminit. Tertullianus deinde sub initium tertii in apologia pro Christianis confidenter pronuntiavit (Apolog. c. 37.). Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa. Deinde Mauritianiam, Hispaniam, Britanniam, Sarmatiam, Daciam, Scythiam, Persiam, Arabiam, Mediam, quo religio pervaserit, enumerat. Quarto demum, ipso Imperatore Constantino Christiana sacra amplectente, de pagana superstitione penitus triumphatum est.

IDQUE SINE HUMANIS SUBSIDIIS.

CXXXVII. Religio Christiana sine ulla humanis subsidiis tam celeriter propagata fuit. Si quod subsidium humanum nata fuisset in sui propagatione religio, fuisset id certe vel in praedicatoribus, vel in illis, quibus persuaderi debebat, vel Imperatorum, magistratumque auctoritate positum, aliud quippe cogitari nequit, atque in his nullum omnino subsidium, quia contraria potius omnia, gravissima obstacula, difficillima impedimenta reperit: igitur Religio Christiana sine ulla humanis subsidiis tam celeriter propagata fuit.

Schol. 1. Paulo accuratius haec expendenda sunt. Erant i.) praedicatores numero pauci, obscuri orti natalibus, egeni, litterarum expertes omni, si rem, humano more aestimes, auctoritate ad persuadendum destituti, non utebantur splendido orationis genere, sed doctrinam Christi sine conquisitis ornamentis, sine fucō proposuerunt; non promittebant opes, delicias, honores, sed rerum mundanarum contemptum, suppliciorum, ac mortis tolerantiam tum verbis, tum factis praedicarunt.

2.) Persuaderi debebat religio cum Judaeis, tum idolatris, quorum alii humana sapientia, et digovitate infanti, alii rerum omnium rudissimi, plerique libidinibus, vitaeque in omnem licentiam projectae assueti; quid iam in his subsidii? quid non potius impedi-

menti? Judaeorum animis sua ipsorum religio tot saeculis ante praenunciata, tot prodigiis a Deo constabilita, in suo etiam splendore persistens alte infixā haerebat; haec tamen evertenda erat; ritus, ac caeremoniae paullo ante sub poena observandae jam non inutiles modo, verum noxiae etiam, ac lethales declarandae. Qui notam populi judaeici obstinationem, pervicaciam, superbiamque, qua ceteras nationes, ac Romanos ipsos prae se despicere solebat, expendit, facile intelligit ad negotium maxime arduum, nec humanis viribus perficiendum aggressos fuisse Apostolos. Sed non minus firmas in paganorum cordibus radices idolatria egerat; superstitionem hanc antiquitatis, majorem consuetudo, Romani Imperii splendor, totius denique fere orbis consensus velut consecraverat. Servandam esse tot aevulorum fidem, sequendos esse patres qui secuti sunt feliciter suos, una erat praecedente Libanio sophista omnium vox (Mn. Felix in Octavio). Decere hominum bonum, clamabant alii cum Caecilio, majorem ex opere disciplinae, religioeque traditas colere, Deos, quos a parentibus acceperit, timere, nec de numinibus secrete sententiam; sed prioribus credere, et plane tantam esse auctoritatem vetustatis, ut inquirere in eam nefas sit. Qui ex his sapientiae laude Romae, Athenae, Alexandriae florebant, non audire. Atque istis proponenda erant veritates sublimissimae, vetustissimae philosophiae scitis contrariae, omnem creatae rationis efficaciam exsuperantes: igitur retundenda superbia, manifestanda humanae intelligentiae infirmitas, ignorantia eorum, qui sapientissimi habebantur, detegenda. Ad fortasse cum rudioribus facilius negotium fuit? Verum hi, quo magis a sapientia removebantur, eo tenacius vitae superstitioni adhaerebant. Est id nullo non tempore infimae plebeculae commune, ut in tuendis consuetudinibus, ac praecipue in conservandis religionis ritibus pertinacissima sit; haec praeterea pervicacia sacrilegiorum fraudibus, sapientium auctoritate, principum edictis mirum in modum agebatur. Quanta attamen, Deum immortalē! quanta undique ad vexillum Christi vix explicatum consensio facta est? Quam avide novitiam doctrinam cupiditatibus humanis adeo oppositam amplexi sunt judaeorum, gentiliumque plurimi, natalium splendore, gestibus magistratibus, sapientiae laude conspicienti? Videte Josephum ab Arimathaea, regiumque ex Aristoboli domo sanguinem, sacerdotum, ac legis peritorum turbam; videte Pantanem, Clementem, Polycarpum, Dionysium, Ignatium, Quadratum, Apollinarem, Melionem, Justinum, Athenagoram, Origenem, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, aliosque, quos Eusebius enumerat (Hist. Eccl. l. 2. c. 23.). Audite, quam confidenter Arnobius gentiles compellet: *Vel haec saltem, inquit, fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi tempore immensis hominum hujus sacramenta diffusa sunt; quod nulla jam nato*

est tam barbari moris, et mansuetudinem nesciens, quae non eius amore versu molliorerit asperitatem suam, et in placidus sensus assumpta tranquillitate migraverit: quod tam magnis ingenis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti iuris, ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt spreis, quibus paulo ante subabant, etc. etc. Petulantissimum itaque convivium est Baylii audacissime pronunciantis, usque ad Constantini tempora paucos, eosque vilissima de plebe Christi sacra amplexatos fuisse. Maxima denique tum sapientium, tum rudium pars turpissima licentia in omne scelorum genus prona ruebat; fuit certe aetas illa, in qua flagitia ad summum provecta, pudorque omnis ex orbe exulare videri poterat, quod vel ex ipsis gentilium scriptoribus Sallustio (*Proem. ad bell. Catilin.*), Juvenali, Persio (*In Saty.*), aliisque discimus. Paucis tamens fieri posse, ut si humanas solum vires spectemus, hominibus voluptuariis doctrina severissima, libidinum fuga, operum, deliciarum, ac voluptatum contemptum egestatis, suppliciorum, mortisque ipsius existimatio, immo cupiditatis, persuadeatur? Et persuasum nihil minus est, atque ea morum mutatio consecuta, qua ethnici non satis demirari, nec non romani praesides in tribunaliibus, et in suis ad Imperatores epistolis, ut Plinius ad Trajanum, Serenus Granianus ad Adrianum Imperatorem in rescriptis, Antonini in litteris ad civitates Graeciae, commendari poterunt. *Afirmabant autem*, Plinii verba sunt (*Epist. l. 10. ep. 76.*), *haec fuisse summae culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo dicere secum invicem, seque sacramenta non in scelus aliquod obstringere, sed ne furti, ne latrocinio, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.* Haec Christianorum pietate, ac probitate gloriosi sunt Iustinus, Athenagoras, Tertullianus, et quotquot apologias pro Religione ad Imperatores, ad senatum romanum, ad infensissimos Christiani nominis hostes vel concinnarunt, vel recitarunt.

3) Quod denique in Imperatorum, aliorumque magistratum auctoritate subsidium nacta est Religio propagata? Nonne gravissimis edictis vetabantur, ne novitiam quis Religionem amplecteretur, neve amplexi eam diutius retinerent? Nonne decretis atrocissimae minationes, intentataque supplicia pondus addiderunt? Neque res intra minas stetit: sublatis sunt innumeri omnis aetatis, et conditionis homines non Romae dumtaxat, sed in toto, qua late patebat, imperio; saevitum ferro, rotis, flamma, exquisitissimisque aliis tormentorum generibus, idque non uno, vel altero anno, sed per tria omnino saecula omnes provinciae vinculis, caedibus, flammarum crepitu personerunt. Quid vero his omnibus effectum? Certe si humanum istud fuisset commentum, religio vix unum, aut alterum annum ferre potuisset, quod ipse Gamaliel pharisaeus in concilio iudaeorum in perniciem Apostolorum collecto agnoverat;

(*Act. Ap. c. 5. v. 38.*); ad contrarium evenit: inter tot tormenta stetit invicta, quin et in dies singulos nova cepit incrementa: *Nec quidquam proficere*, inquit Tertullianus ad Imperatorem (*Apolo. c. 30.*), *exquisitor quaque crudelitas vestra; illa castra est magis sectae; plures efficitur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum.* Igitur infinita hominum multitudo omnis aetatis, sexus, generis; viri, ac mulieres; senes, ac juvenes; pueri, ac puellae; nobiles, ac ignobiles; divites, et pauperes; sapientes, et rudes in omnibus orbis tum noti partibus per tercentos annos cum incredibili constantia, cum summa animi firmitate atrocissima supplicia tolerarunt, crudelissimam mortem subiverunt, profusoque sanguine Religioni testimonium dixerunt: cui quaeso, causae inauditam hanc tot martyrum fortitudinem tribuimus? An fanatico cuidam furori? At quando ejusmodi furor tot simul homines natione, aetate, affectionibus diferentes corripuit? Sit quod aliquando unus vel alter fanaticus abreptus extrema quaeque perpessus fuerit, numquam tamen furor ille in plures transit; numquam per totum sese orbem diffudit; numquam tercentos annos perstitit. Deinde illa pacati animi quies, illa laetitia, constantia, qua carnificibus insultabant, certe fanatici furoris indicia non sunt. An stupori cuidam, et insaniae mentis pervicaciae? At quis stupidos putet homines sapientiae laude clarissimos, omni virtutum genere conspicuos? Mirum profecto, cum paganam superstitionem sequebantur, sapientissimi, splendidissimi, ac regendis rebus publicis aptissimi habebantur: quapropter Religionem Christianam susceperunt, continuo insipientes, insani, stupidi evaserunt. An immoderate gloriae cupiditati? At quid tum magis probrosum, quam nomen inter christianos proficere? Nullum denique aliud motivum humanum, nulla alia causa invictatae hujus martyrum constantiae cogitari potest. Restat igitur, ut eam a vi ipsius veritatis, vel potius a divina virtute profectam arbitremur, verumque miraculum per tria saecula continenter iteratum fuisse pronunciemus: nam certe furor, agereque contra rationis imperium ipsius naturalibus propensionibus roboratum naturae consentaneum non est. Quid quod nostris fere temporibus eandem crudelissimam scenam in Japonia, Sina, aliisque locis, quibus recentissimae fides illata est, renovatam vidimus? Et quod mireris, idem continuo fanatici furor, si naturalis credas, earum nationum homines corripuit: eadem ibi tormentorum immanitas saevit, ac eadem simul Christianorum fortitudo eluxit.

REFELLUNTUR CALEMNIAE.

Schol. 2. Verum quamvis Religionem suos habuisse martyres cavillantur impii verae Religionis hostes; fuisse, qui pro iudaismo, paganismo, quin et pro falsis, singularibusque opinionibus fortissime mortem oppetierint.

Esponsionis loco haec notari velim. 1.) Religio iudaica vero, ut Storchenau *Metaph. Lib. IV.*

fuit, ac a Deo revelata; pro veritate itaque, atque ad contestandam suam erga Deum subjectionem mortui sunt, vitam quotquot maluerunt, quam eam legem deserere. z.) Longe diversum quid est pro opinione falsa quidem, sed ab ipsis inenutabilis animo insedente, ac longa majorum consuetudine confirmata mortem oppetere, ac novam, quam certo scias falsam esse, amplecti, et in illius defensionem vitam profunderere; illud humanum est, ferique nonnumquam potest: hoc naturae repugnat, nec umquam evenit. En praedicatur nova doctrina, nova religio; at simul proponuntur gravissima infamia, honorum omnium amissio, immania tormenta, atrocissima mors; illam amplecti est his sese ultro obicere. Putamusne fieri posse, ut tot hominum millia eo dementiae deveniant, ut tuendi erroris causa scienter in interitum ruant? 3.) Si quis pro singulari quadam, ac falsa sententia moriatur, ille aut eam veram esse sibi, licet falso, firmissime persuadet, aut ad summum jam pertinaciae, vel desperationis apicem ascendit, quemadmodum saepe homines sibi ipsis violentas manus inferunt. Nulla horum suspicio in martyres nostros cadit, in quibus magna sapientia, singularis animi tranquillitas, ac serenitas semper eluxit.

Alii vel cum Dodwello (*Quaeu. de M. Voltaire t. 13. p. 74. suiv.*) martyrum numerum in dubium vocant, negantque tot fuisse, quot passim iactantur: vel cum Voltaire (*La religion, vengé l. 9. lett. 10. et suiv.*) contendunt, christianos illos non religionis titulo, sed gravissimum scelus causa a romanis praesidibus necl adiectos fuisse. Verum et hi, et illi omnium historiarum monumentis facile conveniunt: ergo duntaxat quaedam ex laudata jam alias Plinii ad Trajanum epistola proferam, quae impudentiam Voltairii in plena luce constituit. *Nec mediocriter, inquit, haesitavi, — de turbe poenitentiae locus, an ei, qui omnino christianus fuit, desissee non prosit (Ep. l. 10. ep. 97.). Nomen ipsum, etiam si flagitii careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in his, qui ad me tanquam christiani deferbantur, hunc suum secutus modum, interrogavi ipsos, an essent christiani: constantes iterum, ac tercio interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam qualemque esset, quod faterentur; pericaciam certe, et inflexibilem obstinationem debere puniri. — Cum praeeunte me Deos appellarent, et imagini tuae, quam propter haec jusserant cum simulacris numerum offerri, thure, et vino supplicarent: praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani, ego dimittendos putavi. Recte, atque ordine fecisse Plinium rescripti Imperator: Actum, quem debuisti, mi Secunde, in executendis causis eorum, qui christiani ad te delati fuerant, secutus es.*

Ethnicam superstitionem, tum et Mahometanam, ajunt denique nonnulli, non minus et celeriter et late per orbem diffusam fuisse; non apparere proinde, quomodo ex propagatione argumentum verita-

tis pro religione christiana peti possit. At vero religionem, quae ad depravatas hominum propensiones accomodata est, quae omnem vitae licentiam probat, longe, lateque propagari mirum non est, si praesertim publica auctoritas, principum edicta, magistratum adhortationes, sacerdotum mendacia, daemonum praestigia, armorum vis accedant. Religioni christianae nihil ex his profuisse, quin potius impedimenta humanis viribus insuperabilia undique occurrerit demonstratum est; novimus, quantum ultimis hisce temporibus severitas doctrinae, praecipue in prohibenda polygamia, et privata injuriarum ultione, obstiterit, ne in Sina, Japonia, aliisque cultioribus nationibus universim reciperetur. Verum gentiles quoque ad amplectenda christiana sacra armis coactos fuisse Baylus opponit (*Dict. histor. crit. ar. Mahamed.*). Itane? quo quaeso tempore? an primis tribus saeculis? minime certe; tum enim undique ferro, et flamma in Christianos saevitum est: quare autem religio jam toto fere orbe diffusa fuit. Quod si consequentibus temporibus christianorum principum aliqui populos armis subactos ad religionem amplectendam vi coegissent, istud minime efficeret, ne prima ejus propagandae ratio vere mirabilis, et divina sit, multumque diversa a modo, quo impurissima Mahometis superstitio in orbem introducta fuit.

VERITAS RELIG. CHR. EX PROPAGATIONE ELUCET.

CXXIX. *Veritas Religionis Christianae ex admirabili illius propagatione manifeste elucet.* Cum enim religio christiana celerime (§. 127.), et sine ullis humanis subsidiis propagata sit (§. 128.), necesse est, ut id vi quadam supernaturali, et divina effectum fuisse censeamus; sed religio vi divina propagata certissime vera est: ergo veritas religionis christiana ex admirabili illius propagatione manifeste elucet.

AN SOLA RELIGIO CATHOLICA VEREA?

Schol. 1. *Vindicata religio christianae veritate alia gravissima quaestio nascitur; utrum apud omnes eos, qui se Christum duces sequi profitentur, vera obtineat religio; qua quidem in re bina haec capita extra omnem controversiam ponuntur. Primum: illam solum religionem christianam veram esse, quae verum sensum doctrinae a Christo revelatae tenet; alterum: diversos, ac oppositos ejusdem doctrinae sensus simul veros esse haud quaquam posse. Hinc vero perspicue colligitur, non in omnibus, quae hodie extant, christianorum societatibus, quippe sibi admodum contrariis, sed in una solum veram Christi Religionem vigere. Hac porro praerogativa solum catholicam gaudere cum multa alia, tum praecipue non interupta inde a S. Petro, et ceteris Apostolis Pontificum, ac Episcoporum successio manifeste demonstrat. Nam certe doctrina Christi, aut hodie amplius non extat, aut in Apostolorum successoribus illibata persistit: illud christianorum nemo affirmaverit; igitur in illa ecclesia quaerenda est, in qua haec successio da-*

tur. Jam vero omnium aliarum sectarum initia ex historicarum monumentis novimus; omnes harum principes e sine catholica Ecclesia prodixisse, eoque facto successione continuam abruptissime legimus: cum contra in Ecclesiae catholicae originem inquirimus, a Pio VII., qui jam vicarias Christi partes sustinet, continenti serie primum ad S. Petrum, tum ad ipsum Christum ascendimus. Validissima hoc telo jam olim Tertullianus, alique Patres contra aetatis suae haereticos usi sunt, neque nobis validius suppetit; uno certe hoc argumento omnes ecclesiae ab Romanae sectae errorum, achæresum convincuntur, nequit enim illorum doctrina apostolica, ac proinde vera esse, qui se ab apostolica ecclesia separant.

QUI INDIFFERENTISMUS, ET QUOTUPLEX?

Schol. 2. Cum itaque sola religio catholica vera sit, ratio naturalis cuius gravissimam obligationem denunciat eandem, expensis rite creditilitatis motivis, amplectendi (conf. §. 115. cor. 1. 2.), ac proinde indifferens non est, ad quam christianorum societatem quis se adjungat. *Indifferentismus* igitur non modo laxior, qui ad omnes quatuor in orbe usitatas religiones (§. 117. schol. 118.) se porrigit; verum etiam *strictior*, qui ad solas christianorum sectas restringitur, cum ratione pugnat; profecto Deum modo, qui ipsi minime placet, colere, et ipsum penitus non colere in re idem sonat. Quod si religio christiana, et nominatim catholica vera est, ut demonstravimus, verum utique et illud erit, quod ipsa docet; quis autem praecipuum illius dogma ignorat, nemini extra ipsam ad salutem aditum patere: adeo ipsam omnibus necessariam esse, et aeternum perituum omnino sit, qui vel uno in capite scienter dissenserit? Nec quidpiam promovent, qui cum Lockio (*Le christianisme raisonnable.*) contendunt, omnes Christianorum coetus in articulis fidei fundamentalibus consentire, tametsi in *accidentalibus* discrepent, hoc enim multis modis reprehendi potest. Imprimis eadem semper est Dei loquentis auctoritas; igitur pari intelligentiae submissione credendum est, quid quod revelaverit, eadem semper est Dei potestas, idem dominium; igitur pari claritate omnibus illius mandatis obtemperandum. Deinde quis certo definitur, qui articuli fundamentales sint, qui accidentales? certe cum ipsi nullum supremum controversiarum iudicem agnoscant, tot iterum hac in re sententiae erunt, quot capita.

RESPONDETUR ROUSSEAVIO.

Schol. 3. Audiamus ad extremum ingeniosam, si superis placet, Rousseavii argumentationem (*Emile* 1. 3. p. 358.). *Si una solum religio revelata inter tot alias vera sit, fieri minime poterit, ut illa a quoquam cognoscatur; cum enim nulla in re partem non auditam condemnare liceat, necesse est, ut quis summa accurate omnes totius orbis religiones examinet, omnes, quas adferunt, rationes minutatim expendat, ac objectiones*

num itis conferat. Examen porro istud, ut rite instituitur, magnam intelligentiae vim, omnium linguarum peritiam, immensam librorum copiam, denique et diuturnam per orbem peregrinationem postulat. Quis jam vero tanto labori perficendo par sit? Consultius itaque est, omnem de religione revelata curam dimittere, eoque, quem sua quævis ratio docet, cultu Deum prosequi. At quaerere ex Rousseavio licet, utrum infans matrem suam e notis, quae vultum ipsius distinguunt, noscat, antequam omnes totius orbis mulieres viderit. Quaero item, an ad veram religionem naturalis, quam ipse solam admittit, agnoscendam, longum, ac difficile examen omnium systematum atheorum, materialistarum, scepticorum, idealistarum, egoistarum, aliorumque similium deliramentorum necessarium sit: negabit profecto, nisi fallor, aetque veritatem religionis naturalis per se sine comparatione ad absurdas aliorum hypotheses cuius attendenti perspicuam fieri. At vero similiter veritas Religionis Christianae, et cum primis catholicae rationibus evidentissimis non comparativis ad alias religiones falsas, sed absolutis demonstratur: quare necesse non est, ut omnes aliae anxie examinentur: sed sufficit, ut illae rationes, id est, motiva creditilitatis attendantur, et pacata mente expendantur; fieri enim omnino nequit, ut ea religio falsa sit, pro qua tot motiva pugnant. Quod si autem unius partis veritas certo agnoscitur, hoc ipso constat omnes oppositas falsas esse; quemadmodum, cum inam contradictionis partem veram esse demonstravimus, continuo secundum logicae leges alteram falsam esse concludimus: nec opus est, ut minutissimas quasvis adversantium rationes seorsum excutamus. Ceterum vel ipsa haec huius examinis summa difficultas, quin et impossibilitas efficacissimum argumentum suppetit, quo veritas religionis catholicae, Rousseavio quantumvis repugnant, constabillatur: nam certe Religio, sine qua nemini salutem consequi liceat, ad omnium quoque captum accommodata sit, oportet: istud autem de sola Catholica cum veritate affirmari potest, dum enim ceterae sectae accuratam Scripturarum lectionem, et meditationes rudium, ac mulierularum ingenium superantes exposcent, ipsa animi duntaxat demissionem, et Ecclesiae auctoritatem commendat, cui parere rudissimis aequae, ac doctis perfacile est; id quod auctor Berolinensis copiosius demonstravit (*La folie des prétendus esprits forts.*). Sed jam de Religione pro scopo, non pro argumenti gravitate satis: precor summum Numen, abjunctis honoribus laborem hunc dicavi, iterumque dico, ut misere aberrantes Religionis hostes in viam veritatis benigne reducat.

CONSPECTUS

PSYCHOLOGIÆ.

LIBER III.

Prolegomenon in Psychologiam. Pag. 3

P A R S I.

E M P Y R I C A.

De iis, quæ de Anima Humana per experientiam nota sunt. 4

S E C T I O I.

De Facultate Cognoscendi.

MEMBRUM I. *De Facultate Cognoscendi Inferiore.* 5

Caput I. *De facultate Sentiendi.* 6

Caput II. *De Facultate Imaginandi.* 14

Caput III. *De Somniis.* 22

Caput IV. *De Memoria, Oblivione, ac Reminiscentia.* 26

MEMBRUM II. *De Facultate Cognoscendi Superiore.* 31

Caput I. *De Facultate Attendendi, et Reflectendi.* 32

Caput II. *De Intellectu.* 34

Caput III. *De Ratione.* 40

Caput IV. *De Habitibus Generativis.* 48

S E C T I O II.

De Facultate Appetendi, et Aversandi.

Caput I. *De Voluptate, et Trædio, Bono, ac Malo.* 51

Caput II. *De Facultate Appetendi, et Aversandi.* 55

Caput III. *De Affectibus.* 65

S E C T I O III.

De Facultate Volendi.

Caput I. *De Spontaneitate, et Voluntate.* 66

Caput II. *De Natura Libertatis Humanae.* 72

Caput III. *De Existentia Libertatis Humanae.* 85

P A R S II.

R A T I O N A L I S.

De iis, quæ de Anima Humana ratiocinando cognosci possunt. 108

S E C T I O I.

De Natura Animæ Humanæ.

Caput I. *De Essentiali Animæ inter, ac Corpus discrimine.* 108

Caput II. *De Simplicitate Animæ Humanæ.* 119

Caput III. *De Spiritualitate Animæ Humanæ.* 127

Caput IV. *De celebri in Philosophia Quæstione: Utrum Materia possit cogitare?* 152

Caput V. *De Essentia, ac Natura Animæ Humanæ.* 158

Caput VI. *De Ortu Animæ Humanæ.* 145

S E C T I O II.

De Commercio Animæ cum Corpore.

Caput I. *De Sede Animæ, et Commercii Phœnomenis.* 156

Caput II. *De Ratione Explicandi Commercii.* 159

Caput III. *De Systemate Assistentiæ, sive Causarum Occasionalium.* 165

Caput IV. *De Systemate Harmoniæ Præstabilitæ,* 165

Caput V. *De Systemate causalitatis, sive influxus physici.* 173

S E C T I O III.

De Idearum Natura, et Origine.

Caput I. *De Idearum, ac Perceptionum Natura.* 185

Caput II. *De Opinionibus quorundam Philosophorum quoad idearum Originem.* 192

Caput III. *De Ideis Innatis.* 195

Caput IV. *De Vera Idearum Origine.* 200

S E C T I O IV.

De Perpetua Animæ Humanæ Duratione.

Caput I. *De naturali Existentiâ Animæ Humanæ, in perpetuum continuatione.* 209

Caput II. *De Naturali Vitæ Animæ Humanæ in perpetuum Continuatione.* 211

Caput III. *De Naturali Animæ Humanæ Immortalitate.* 215

Caput IV. *De Necessaria Dei Voluntate, ut Anima Humana perpetuo existat, et vivat.* 220

APPENDIX

De Bestiarum Animis.

Caput I. *De Existentiâ Animæ Belluinae.* 240

Caput II. *De Natura Animæ Belluinae.* 248

THEOLOGIE NATURALIS.

LIBER IV.

Prolegomenon in Theologiam naturalem. Pag. 259

SECTIO I.

De Essentia, ac Existentia Dei.

Caput I. <i>De essentia Dei, et Atheismo.</i>	260
Caput II. <i>De Existentia Dei Metaphysice demonstrata.</i>	262
Caput III. <i>De Existentia Dei Physice demonstrata.</i>	266
Caput IV. <i>De Existentia Dei Moraliter demonstrata.</i>	269

SECTIO II.

De Attributis Dei.

MEMBRUM I. <i>De Attributis Dei Negativis.</i>	284
Caput I. <i>De Attributis Dei vi originis Negativis.</i>	285
Caput II. <i>De Attributis Dei vi significationis Negativis.</i>	287
MEMBRUM II. <i>De Attributis Dei Positivis.</i>	295
Caput I. <i>De Intellectu Dei, et Attributis cum eo connexis.</i>	ib.
Caput II. <i>De Voluntate Dei.</i>	297
Caput III. <i>De Attributis Dei cum Voluntate connexis.</i>	300

SECTIO III.

De Operationibus Dei.

Caput I. <i>De Creatione, Conservatione, et Concursu.</i>	309
Caput II. <i>De Gubernatione, et Providentia.</i>	316

SECTIO IV.

De Religione.

Caput I. <i>De Religione Generalim.</i>	325
Caput II. <i>De Religione Naturali.</i>	329
Caput III. <i>De Religione Revelata.</i>	357
Caput IV. <i>De Religione Christiana.</i>	347

